

bulandi libertate, victusq; mali vi, tertia quasi ante obitum hebdomade, Lectulo se, ultimo Mortis suæ Proscenio, submitit, agitantibus ipsum non rarò, ut calculosis fieri assolet, & defatigantibus vomitibus, ratione ventriculi, in consensum tracti.

Hinc nec tantillum detinuit penes se, quodcumq; ex Pharmacopolio allatum, offerri sibi tandem permittebat.

Urina toto decubitûs tempore obstructa mansit, nec destillare ex Renibus quicquam ejus potuit, ob Ureteres Sabulo infarctos.

Exacerbabantur dolores, superveniebant cum Febri vigiliæ, quæ innocens corpus usq; ad ultimum ferè vitæ Articulum, convulsionibus finitum, excruciant.

Acquievit tamen paulò ante hunc, & placidè postea animam exspiravit, quam precibus quotidie, & piis suspiriis sancto ex hac vitâ & irremeabili itineri præpararat.

*Ejundem Mors.*

Ad conciliandum super hoc mœstissimæ viduæ solatium, ut ipsa incurabilis morbi reliquias ac testem, Calculos videret, quæsitus à me, in aperto defuncti corpore, fuit mortiferæ causæ locus. Atq; sic, dum manus admoverem, integumenta abdominis, muscoli & viscera pleraq; rectè satis se habebant. Quibus proinde ad latus revolutis, factisq; ex arte quibus opus erat, ligaturis, ne dextræ ad partem affectam tendenti quid obesset, abactòq; à Renibus involucro confestim iidem aparuere penitus inflammati, qui sic radices febris fuerant. Nisi enim fallor, omnem inflammationem internam Febris sequitur, non quidem tam præcisè ob vapores, qui ex effuso in partem inflammata, ibiq; putrescente sanguine cordi communicentur, illudq; calefaciant, quam ob impeditam potius sanguinis circulationem & spiritus exæstuanes, cujuscunq; certè repaguli prodigos: Unde hi objecto semel obice, confestim retrò ruunt, assumtoq; in furoris societatem sanguine, imprimis quando hic jam est in viâ ad putredinem, quemadmodum universum corpus Febre, sic cerebrum prætereà ac simul vigiliis insuetis torquent.

*Apertio Cadaveris.*

*Causa Febris in inflammationibus internis*

*& Vigiliarum:*

Quæ certè à B. SPERLINGIO non abfuere, præsertim postquam fervidus iste Renum Tumor augmenta sua sumsit.

Increverat verò is adeò, ut illorum figuram etiam ac exter-

*Renum Figura varia.*